



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

Præfatio Ad Lectorem.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)



PRÆFATIO

A D

LECTOREM.



Ibrum hunc, ô pie Lector, *Monotessaram* appellamus, eam ob causam, quòd *Vnum* è quatuor sacrosanctis Evangelijs depromptum Vitæ, Miraculorum, Doctrinæ, Passionis, aut Resurrectionis D. N. IESV CHRISTI mysterium non alijs, quàm ipsorummet. Evangelistarum verbis enarratum proponitur; omnium quidem, si omnes; trium vel duorum, si duo trësve rem eandem memoriæ prodiderunt; unius, quod unus calamo duntaxat consignavit. Hoc in studio decurrerunt è vetustissimis duo; *Tatianus Asyrius*, Iustini Martyris & Philosophi sectator, florens in Ecclesia, quamdiu ab ejus latere, non discessit; quem id genus labore, laudèque consecutus est *Ammonius Alexandrinus*. Harmoniam utriusque, *Magna Bibliotheca Veterum Patrum*, & antiquorum Scriptorum Ecclesiasticorum exhibet. *Eusebius*

Cæ-

P R A E F A T I O.

Cæsariensis Episcopus Alexandrinus, secutus Ammonium, *Canones* in decem numeros ordinavit: quos S. Hieronymus, sicut in Græco habebantur, expressit, ut si quis voluerit nôsse, quæ in Evangelijs vel eadem, vel vicina, vel sola sint, eorum distinctione cognoscat. Alij subinde fuerunt, qui præcedentium studia majorem in modum perfecterunt: ut *Ioannes Gerson* Cancellarius Parisiensis, *Cornelius Iansenius* Episcopus Gandavensis, *Sebastianus Barradius*, *Ioannes Hajus*, *Bartholomeus Riccius*, &c. qui operæ pretium suæ fecerunt. Verùm ut ad omnem sive meditantium, sive Lectorum commoditatem adeo nihil deesset, illud accedere posse visum fuit: ut in certas materia disposita classes, enarrata verbis sacrorum Evangelistarum, in tres quatuorve divisa partes, omnem surriperet laborem quærendi, num idem alius, alitèrque recenseret. Quam obrem in septem classes universa coëgi, quarum in se complectitur

Prima.

Ortum, infantiam, vitamque Christi ad annum usque trigessimum.

Alte.

PRÆFATIO.

Alterà.

Refert acta præcipua Christi ab anno trigesimo.

Tertia.

Narrat miracula, quæ Medicus cœlo delapsus virtute divinâ patravit in agris, quos sanitati restituit.

Quarta.

Doctrinam æternæ Sapientiæ pervolvit, ac primùm eam, quam DEI Filius per Parabolas proposuit.

Quinta.

Didagmata non omnia, tamen præcipua Christi, quibus omne hominum genus imbuere voluit, selegit.

Sexta.

Passionem acerbissimam Servatoris nostri ob oculos ponit.

Septima.

Gloriam IESV Christi redivivi manifestam facit.

Vex.

PRÆFATIO.

Verbis utimur haud alijs, quàm quibus Latinè loquitur Vulgata. Quæ prætermittit Evangelistarum unus, ex alijs supplentur, eo collocata verborum ordine, ut filum historiae non incidatur. Mox illius quoque nomen adjungimus, qui, quod ad lucidiorum rei notitiam faceret, symbolam quasi dedit, ut, à quo lampadem acceperis, non ignores. His te pauculis alloquendum existimavi, quò mentem nostram & laboris scopum perspiceres. Porro Vitam solius *Christi* damus hoc opusculo: daturi, si DEO placebit, alio bipertito *Personas illustres*, quarum Laus est in Evangelio, & *Personas infames*, quæ reprehenduntur. Tu, bone Lector, his, ut potes, ad majorem DEI gloriam, tuamq; salutem utere, ac bene vale.



IN.